

05
A
2428



I. N. 7.

QVÆSTIONEM THEOLOGICAM,

Utrum Christus fue-
rit in Lumbis Adami pec-
cantis ?

Ad adferendam Sanctiss. Serva-
toris innocentiam,

Examini solenni subjiciet

PRÆSIDE,

D. JO. FRID. MAYERO,
S. Theol. Prof. P.

M. JO. CHRISTIANUS BOSS
Grimmensis.

d. I. Octobr. A. M DC LXXXVI.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.

UNIVERSITÄT M. THEOLOGIAM

LIBRARIUS CHRISTIANUS

ADAM DECC-

caucus 3

caucus 3

caucus 3

caucus 3

DIO. ERD. MAYERO.



05 A 2428





JESU FORTUNANTE!

§. I.

Ultheri Cathedram, nisi cum animo Lutheri, conscendere nefas esto. Quam sanè præcipuam orthodoxorum & divinæ pariter humanæque sapientiæ in hac nostra Academia Antistitum curam esse tam intelligunt omnes, quam ego, ut præsentis instituti rationem cordatis omnibus probem, plane penitusque eo animo me constare, non æque phalerata excusatione susceptæ tractationis, quam gravi confessione constantique asseveratione obtinendum esse necessarium duxi. Equidem conscientia illius meæ illibata, cujus notiones omnes Deum evolutas habere persvasissimum mihi est, pretio me adstrictum sentio, quâ utramque Cathedram ita in fidem mihi receptam scio, ut, nisi Biblicæ Theologiæ atque ex limpidissimis Israëlitis fontibus haustæ doctrinam propositurus accederem, indignissimum me vel sanctis illis locis esse judicem. Nemo ergo, qui inscriptionem hujus dissertationis legit, Scholasticæ subtilitatis specimen ex orco quasi revocata nos exhibere præsumat, cujus manes pati velle, eodem prorsus animo fieri posse statuimus, quo se quis concitatis furiis & turbulentissimis lemuribus excarnificandum quassandumque sistere sustineat. Si enim quisquam est, qui vani cerebri delicias istas, quales sunt Scholasticorum

UTRUM CHRISTUS FUERIT

rum spinosarum quæstionum tricæ repudiet & animo suo detestetur, sane is ego sum, qui malim hac statione vitæ discedere, quam redivivæ Centauricæ bestię, Theologiæ Scholasticæ, locum unquam concedere. Neque, uti confido, vel ipsi Pontificii isthanc mentem meam graviter ferent, admoniti pridem à suo Christophoro à Capite fontium, in libro, quem de necessaria Theologia Scholastica correctione conscripsit. Ceterum probo zelum Theologi de Saxonica ecclesia meritissimi B. D. D. Welleri, qui Comes Electoris sui ad Comitata Ratisponæ habita flagrantissimo desiderio Zellerum, cui amicissimus erat, exoptavit, ut de Theologia Scholastica, quæ eliminata per anticam à Luthero per posticam Zelosis Theologis reduci videbatur ac revocanda Biblica Theologia serio cum eo ageret. Quo se Zelo gavisum confirmat Vir ob eundem in cælo notissimus & in terris incomparabilis Theologus D. PHILIPP. JAC. SPENERUS in Præfatione Expositioni Pericoparum Evangelicarum Dominical. & Festival. Arndtiana præmissæ. Quibus jungere liceat exactissimum elegantissimeque proditum iudicium Lansii in laudatione funebri B. Hafenrefferi, in qua Beatum Lutherum, si è sepulchro ad mortalitatis commercium rediret, dicturum introducit in hanc sententiam & profecto non mitioribus verbis: *Quid hoc malum, feculenta Theologia est? Ecquæ vos otiosarum quæstionum architecti, ambitiosi acuminis aucupes, & novorum terminorum semper studiosi; ecquæ vos occupavit dementia, ut tanquam postliminio Centauricam Theologiam temeraria mixture ex divinis elogiis & Philosophicis rationibus conflata in Ecclesiam reducere ausi sitis? Tantine erat Scholasticas sordes expurgasse, ut esset, quod iterum contaminaretur? An ita in Annalibus estis pueri, ut vos fugiat, quæ superiorum temporum fuerit facies?* que

IN LUMBIS ADAMI PECCANTIS?

quæ miseria? Quid enim in domum Dei & sanctam Religionem plus intulit tenebrarum, superstitionum & uno verbo, hæresium, quam figmenta Scholasticorum? cum exautorata divina Scriptura & posthabito D. Pauli τὰς βεβήλας νενοφωμένας vitare jubentis præcepto, passim in Theologorum scholis & congressibus dominarentur Petri Lombardi sententiæ, commenta Alberti Magni, Thomæ Aquinatis, Scoti, Occami, Holcotti, Bricotti, Durandi, Bonaventura, Petri de Palude, Gersonis, Bielii, Alesii, Joannis de Argentina, & ceterorum id genus antesignanorum libri, plerumque curiosissimis problematis & jejunis quæstiunculis sic referti, ut potius ex somniis Parnassii collecti, quam ex fontibus Israelis hausti esse viderentur? Et fuit illa Scholastica Theologia Trojano equo non absimilis: quæ semel in Ecclesiam admissa latentes confestim exposuit insidias, quibus istam aliquot seculorum intervallo horrendis oppressionum machinis pene ad interitum redegit. Sed quæ tantum hostem fidei parastatarum opera adjuti, ex Theologiæ arce & Ecclesiæ gremio fortiter pepulimus: Cur vos eundem, quàm alio schemate relictum, revocatis? cur sinceræ & limpide religionis candorem tot novarum opinionum strophis, ac insuetorum griphis terminorum rursus eversum itis? Quotusquisque disputatorum è grege vestro est, qui ingenio non faveat suo? Quæ calore quodam novitatis aut gloriolæ abreptus in concinnandis inventionibus & argutiolis consuendis non luxuriat? qui ceteros, qui æquo animo talia nescire volunt, & post Jesum Christum curiositate opus non esse existimant, tanquam dupundios, nec satis exercitatos peritosve Theologos, non rideat & aspernetur? Resipiscite, per Deum, si genuini Christiani, & Apostolorum amuli haberi vultis: & impium infelixque illud Philosophia cum Theologia adulterium detestamini, aut Deum iratum expectate, & infamem Religionis per vos ingeniosè profanata memoriam ad posteros transmittite. Nos autem nugacissimas istas scholasticorum tricas & inexplicabiles monstruosissimarum quæstionum labyrinthos iterum iterumque detestantes atque ex doctrina fidei vanitates speculationum ac profani

UTRUM CHRISTUS FUERIT

fani acuminis commenta penitus proscribentes, quæstionem in medium proferimus minime omnium ex censu scholasticarum istiusmodi aut plane otiosam habendam. Quippe Cardinem quoque Salutis in hac ipsa discussione verti patet quod ea ipsa innocentia CHRISTI orthodoxe sit asserenda, quæ certe satisfactionis pro nobis factæ fundamentum est & pretium, quam nemo defendere valide poterit, nisi quæstionem, cuius pertractationem nunc fortunante JESU aggredimur dextre noverit solvere.

§. II. Utrinqve quidem periculosi prominent scopuli, quare accuratis hic limitibus distingvendum sane est, ut Christi humana natura secundum analogiam fidei asseratur, neque tamen cuiquam dubium relinquatur, ac si confinio peccaminosæ carnis destinata corpori Christi massa læsa sit. Si enim dicamus Christum non fuisse in lumbis Adami, negare quoque necesse habebimus, eum exstitisse verum hominem: Id autem quis audeat, nisi qui idem Paulum mysterii omnium confessione magni, quod DEUS manifestatus sit in carne *I. ad Timoth. III. v. 16.* præconem vanitatis arguere velit: nisi qui veritati revelatæ, quod, quemadmodum pueri communicaverint carni & sanguini, perinde & Christum participasse iisdem *ad Ebræos II. v. 14.* reclamare velit: nisi qui negatum quoque ire sustineat, eum semen Abrahamæ assumpsisse, contra quam *Paulus loco cit. v. 16. asserit.* Ut adeo ab hominum numero segregandus videatur Christus, si quidem hic eximius statuatur; Omnes enim homines in lumbis Adami peccantis fuisse dicuntur. Si autem dicamus fuisse in lumbis Adami peccantis ergò inveniunt adversarii Christus una cum Adamo

IN LUMBIS ADAMI PECCANTIS?

damo quoque peccavit, ergo, inquit, sui quoque ipsius redemptor exstitit, ergo Christum quoque imputationi peccati Adamitici obnoxium fuisse, quod tamen sensui pietatis & conscientiae repugnare videatur. Jam vero dissimulandum non est, quam serio agamus, ut omnes in Adamo peccasse constet, idque maxime ex vindicatione solida Loci in Epist. ad Romanos V. vers. 12. ad quem locum omnino notandum, controversiam consistere in eo, utrum *in quo* reddendum sit: *Eo quod* vel *in quo*. utrum *in quo* sit generis neutrius hoc loco & notet meritum mortis, an vero sit generis Masculini & notet Adamum? Erasmus reddidit: *Quatenus* omnes &c. sed minus accurate. Nos cum versione Belgica efferendum censemus: *In quo* omnes peccavimus. Hanc enim sententiam à Spiritu S. intendi probari potest (a) ex oppositione instituta Cap. V. hocce, ubi unum uni Christum Adamo opponit, v. 14, 15, 16, 17, 18, 19. (b) ex specie peccati de quo loquitur, nempe ejusmodi, quod Apostolus citra revelationem in lege Moysis pro peccato non haberet, quale peccatum est originis: namque peccata actualia pro peccatis habenda esse, vel discrimen honesti & turpis nobis innatum docet, ut lege revelata minime opus sit. Cum vero de peccato originali, quod peccatum esse tantum ex Lege noverat loquatur, planum est quod hic de Adamo tanquam fonte dicat (c) ex transgressione eorum qui non peccaverunt ad similitudinem Adamiticæ transgressionis, id est in propria Persona & immediate. Illa enim huic opponitur. Sociniani quidem illud *in quo* non pro relativo, sed pro causali agnoscunt, contenduntque *in quo* nunquam pro *in quo* accipi, adeoque *in quo* hoc loco per *propter quod* vertendum

dum

dum. Quibus respondemus. Omnino plura dari exempla, ubi particula *ἐν* relativè & subjective sit usurpata, uti Marci 2. vers. 4. ubi sane per quatenus verti non potest, it. Luc. 5. vers. 18. ad Philippenses V. v. 10. Nec obstat, quod alia verba plura inter Adamum & *ἐφ' ᾧ* interjaceant, ut adeo, prout ogganniunt Sociniani, *ἐφ' ᾧ* ad subjectum proximius referendum sit. Ubi notari volumus regulam hanc herminevticam : *Relativum non semper respicit subjectum proximum, sed quandoque remotius*, quod analogia fidei & circumstantiæ ostendunt. Sic II. Joannis v. 7. ubi exstat : Hic est seductor & Antichristus, quod tamen de Christo, qui hoc loco subjectum proximum est, non sine blasphemiae reprehensione interpretari quis poterit. Ut adeo omnes in Adamo peccaverimus, & quidem (1) *Radicaliter*, quandoquidem omnes eramus in lumbis Adami & imprimis identitate affectuum. Quales enim Pater, talis filius in lumbis. Quod si omnes vixissemus, omnes pariter propter identitatem & harmoniam affectuum summam una cum Adamo peccassemus. Neque enim repugnabamus, cum Adamus manus ad vitum porrigeret fructum, ideoque eadem vice una comedisse culpamque contraxisse censendi sumus : quo nomine post lapsum, qualis terrenus, tales terreni meritò evadunt I. ad Corinth. 15. v. 48. Adde quod in Deo omnia futuribilia sint præsentia, adeoque nos omnes tunc Deo eramus præsentissimi. **DEUS** eo tempore universum genus humanum eodem simplicissimo actu intuebatur, & singulorum hominum mentem animumque penitissimè introspiciebat; si itaque summus Deus vel unicum fuisset conspicatus, qui, ab Adami facinore abhorruisset,

cri.

criminis sane expertem & ab omni reatu poenaeque immu-
nem eum praestitisset, quod argumentum prolixius exse-
cuti sumus in Disputatione priori de POENITENTIA
ADAMI. (2.) *Federaliter*. Cum Adamo enim nomine
totius humani generis pactum Deus iniverat, qui omnes
posteriores suos representabat, cumque adeo is laberetur, to-
tum simul genus humanum eundem lapsum committe-
bat. Ex quibus efficitur quod peccatum Adamiticum
non modo non perigrinum sit, nostrumque fiat nuda im-
putatione, sed quod omnino nostrum sit ob communio-
nem criminis & culpae, propter commissionem quoque &
cooperationem: quorsum conferri quoque potest veneranda
canitiae Senior noster D. D. Qvenstedius Theologus con-
summatus in Systemate, de quo jure meritoque si un-
quam de alio opere, dicendum judicandumque, quod sit
כֹּהֵן אֱלֹהִים absolutissimum juxta ac elaboratissimum. Quae
omnia cum secundum ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνόντων λόγων
persuasissimi sumus nos asserere, acrius ab adversariis urgeri
posse videmur, quod cum homines omnes in Adamo fu-
isse, neque fuisse tantum, sed idem quoque cum ipso faci-
mus patrasse dicamus, Christus quoque culpam contraxis-
se videatur, quo ipso redemptionis nostrae basis convellitur
spesque omnis salutis aeternae labefactatur, hominumque
idoneo Mediatore destitutorum affectus omnis in profun-
dissimam acerrimamque desperationem lentescit.

§. III. At enimvero quibus momentis asseri possit
Christum verum hominem fuisse in Adamo, non tamen in
lumbis Adae peccantis, utque adeo peccati Adamitici,
quemadmodum reliqui homines ad unum omnes reus fa-
ctus quam minime sit, sed carnem ab omni peccati macula

UTRUM CHRISTUS FUERIT

liberam habere potuerit, ac quomodo hæc propositiones, si interposita accurata distinctione disputentur, amice quasi inter se conspirent deinceps explanatum confectumque dabo. Nimirum illi erant in lumbis Adami peccantis, qui tanquam homines cursu naturali & semine ordinario ad generationem univocam & specificam apto propagandi erant. Satis ad rem accommodatè *Philippus Abbas Bona spei*, qui peculiari de hoc argumento, quomodo *Christus in Adamo fuerit & tamen in Adamo non peccarit*, egit epistola: *In Adamo fuit Christus non secundum id, quo peccator erat & peccatum propagabat: nempe secundum vim seminalem, quæ cum concupiscentia gignit & cum concupiscentia profeminat.* Fuerunt illi in Adamo peccante qui vi benedictionis generalis nati & nascendi sunt. Cum enim Deus naturæ propagationem ordinaret & matrimonium jure divino & naturali fundatum vellet, hominibus maritatis his benedicebat verbis: *Crescite & multiplicamini* Genes. I. v. 28. cujus benedictionis effectus etiamnum durat, postquam voluntate divina cum omnipotentia conjuncta determinante se in humanam penitus naturam insinuavit, ac durabit, quousque conservatio speciei humanæ ex eadem voluntate divina arcana obtinebit, ut homines fructificent ac perinde ut totum pomum fructus est arboris, totus semper homo ab homine fructus feratur. Christus autem natus est vi promissionis particularis & Evangelicæ de qua Genes. III. v. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis*, quo ipso homo post lapsum in spem misericordiæ divinæ iterum fuit erectus. Separatus itaque jam à peccatoribus tum erat Christus, tum primum secundum humanam naturam ex Patribus

na-

IN LUMBIS ADAMI PECCANTIS?

nascendus in lumbis Adami esse incipiebat, voce non quidem creantis DEI, sed creaturarum nobilissimam maligni fraude spiritus averfam à se & deperditam reductam redemptamque cupientis. Homo erat qui debebat satisfacere, DEUS à poterat, ideoque personalis divinæ naturæ cum humana insequi debebat unio, quæ vera & totalis causa est impeccabilitatis in Christo quod deduximus in dissertatione *de Confortatione Angelica agonizantis Jesu*, atque B. Dorscheus in Pentadecade Dissertationum Theologicarum Disp. VI. *de rapina divina Majestatis ex Psalmo LXIX.* p. m. 250. *Fuit Maria Virgo juxta ordinem, quem & scriptura aperuit, ex immundo semine concepta. Ergo peccatum originis universam etiam substantiam Mariæ possederat. Ex hac vero substantia, tanquam surculus ex radice Esaiæ XI. 1. decerpta est humana in Christo natura. Atqui ex illa Mariæ anima ita separatim considerata nunquam fuisset aliqua anima propaganda, sicut nec ex corpore ita considerato unquam corpus productum fuisset, nisi tum ex supernaturali Spiritus S. operatione per infinitam DEI potentiam ita producta fuissent. Sane ergo hac humana natura nunquam fuisset si homo non peccasset. Quo argumento iterum conficitur Christum non fuisse in Adamo peccante. Rectè enim & solidissime B. Dannbauerus in Hodosophia Phœnom: VIII, p. 614. Illi dicuntur fuisse in Adamo qui ex Adamo necessario nati sunt. At Christus solum ex occasione peccati natus est, non nasciturus si Adam non peccasset. Quæ proinde quæstio, cum in ea quam maxime causa nostra versetur diductius omnino hic nobis ex instituto discutienda erit. Christum etiamsi homo non peccasset venturum post Scotum 3. Dist. 7. quæst. 3. §. Ca-*

therinum opusc. de eximia Christi prædestinatione *Galatinum* libro tertio de arcanis Catholicæ verit: cap. 4. *P. Suarez.* disp. 5. per totam præsertim sect. 2. 4. & 5. etiam censuerunt *Andreas Osiander* T. de Imagine Dei & ex Calvinianis *Bucan.* Instit. Art. X. *Willetus* L. I. de stat. pr. hom. f. 29. item *Socinus* de stat. pr. hom. f. 37. *Smalc.* c. Franzium f. 530. & hõrum asseclæ. Scotistæ quidem afferunt palmarias has rationes (1) quod Christus prædestinatus sit ante præscientiam peccati, ergo etiamsi nullum peccatum exstitisset, nihilominus tamen verbum fuisse incarnatum (2) quod Prædestinatio Christi & gloria atque dignificatio humanitatis illius fuerit finis propter quem Deus permiserit peccatum Adæ, cumque ex intentione finis procedat electio mediorum, ergo prius in significatione fuisse prævisam & volitam à Deo incarnationem Verbi & exaltationem humanitatis Christi, quam alia quæ pertinent ad ordinem naturæ vel gratiæ. (3) quod Deus non voluerit primo & per se incarnationem verbi, ob remedium peccati originalis, sed propter se ipsam & propter majorem divinæ bonitatis manifestationem: nam id, quod est perfectius non debere ordinari ad id, quod est minus perfectum, neque appeti propter illud. Constare autem incarnationem Verbi excedere in infinitum reparationem generis humani: ergo etiam, inquit, non existente peccato verbum divinū incarnatū fuisset. Quas excerpere licet ex *Didaco Alvarez.* de Incarnatione verbi Disp. IX. p. m. 61. Verum cum ipsimet Thomistæ opinionem hanc refutent, nominatim *Capreolus* lib. III. dec. I. quæst. unic. art. 1. conclus. 1. & *Vasquez* Dis. X. cap. 4. aliique (conferatur *Alvarez* loc. cit. pag. 62. seqq.) his de copiis Thomistarum

satis

IN LUMBIS ADAMI PECCANTIS?

fatis faciemus, Socinianos vero falsarum hypotheseum convincemus, omnes denique ex sacris litteris docebimus non venturum Christum, si Adam non peccasset. Notamus, ergo (1) quamvis Deus uno simplicissimo actu omnia simul intelligat, ordinet, atque decernat; nihilominus ad nostrum concipiendi modum in ipso intellectu divino, distinguenda esse diversa rationis signa, quæ quidem non diversificantur ex parte actus intellectus vel voluntatis DEI, sed ex parte objecti, secundum quod unum objectum habet ab altero dependentiam. Notamus (2) quod finis ultimus propter quem Deus creaturis se voluit communicare, sit ipse Deus, juxta Proverbiorum XIV. v. 4. universa propter se ipsum operatus est Dominus. Nihilominus tamen dantur alii fines proximi & intermedii, propter quos Deus aliqua operatus est ad extra, sicut creavit res corporales propter hominē. Jam audiamus Thomistas suam atque adeo nostram sententiam probantes (a) mysterium incarnationis docet Scriptura processisse ex dilectione æterna, quia Deus homines dilexit, & ex affectu misericordiæ, quo voluit hominum sublevare miseriam Joh. III. sic Deus dilexit mundum &c. Ephes. II. Deus qui dives est misericordia &c. Sed ante prævisionem miseriam naturæ humanæ quam per peccatum incurrit, non potest intelligi in DEO hujusmodi affectus misericordiæ erga hominem. Misericordia enim præsupponit miseriam sublevandam. (b) scriptura quando causam alicujus facti assignat ibi illa causa vel sola istius facti est vel principalis, E. g. Rom. V. per unum hominem peccatum introiit in mundum & per peccatum mors. Mortis ergo sola causa peccatum est, & quando de incarnationis mysterio agit

UTRUM CHRISTUS FUERIT

causam adsignat redemptioni à peccato, uti infra docebi-
mus. (γ) Si ante præscientiam peccati factum in Trini-
tate fuisset decretum de incarnatione Christi, decre-
tum factum fuisset Christum venturum aut in carne im-
passibili, aut passibili (tertium non datur.) Non in carne
impassibili, si enim hoc decretum factum, licet vel maxime
veniente peccato Christus in hac carne impassibili venisset
alias enim hoc decretum fuisset efficax, aut fuisset præviso
peccato mutatum, quod contra Apostolum Jacob. I.
apud Deum nulla transmutatio aut vicissitudinis obum-
bratio est. Non in carne passibili; non veniente enim
peccato nemo hominum fuisset mortuus, quare autem
Christus peccato non existente habuisset carnem morti
sujectam? vid. quoque beati Dn. Parentis mei Joh. Ulrici
Mayeri dissert. de imagine DEI quest. 16. Falsis autem hy-
pothesibus hic niti Socinianos patet inde, quod (1) de-
fendant divinitatem Christi in æterna præordinatione
consistere. (2) Hominem integrum mortalem à Christo
immortalitate donandum fuisse. (2) Officium Christi non
satisfactione pro peccatis, sed salutis tantum *ὁδῆν ἡσθε* &
annunciatione positum esse, conferatur Scherzerus in
Colleg. Antisocin. disp. 45. p. m. 374. Sanior his omnibus
ipse Jesuita Becanus qui ipse fateri cogitur de incarnatio-
ne: Q. 7. in nostra sententia *magis commendari charita-
tem DEI.* Norma nobis scriptura S. in qua ubique incar-
nationis ratio ex peccato primi hominis assignatur. Ut
patet, Luc. 19. v. 10. *Venit tantum quærere ac salvare quod
perierat* si ergo homo non periisset Christus qui eum quæ-
reret ac salvaret non venisset. Nisi in Adamo primo fu-
issemus mortui, Adamus secundus in quo vivificaremur
veni-

IN LUMBIS ADAMI PECCANTIS?

venire non debuisset: in quam sententiam *oppositio Adami primi & secundi* ad Rom. V. 12. it. I. Corinth. XV. 45. 47. est accipienda. Recte ergo Augustinus serm. 9. de ver. Apost. in princ. Tom. X. *Nulla causa veniendi fuit Christo Domino nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos tolle vulnera & nulla est medicina causa.* Unde adeo constat incarnationis necessitatem hypotheticam minime vero absolutam fuisse. Si autem non necessario fuit in lumbis Adami, neque in iisdem peccasse cum iis qui necessario ex Adamo nascendi erant censendus innocentissimus Servator noster erit. Addimus oppositionem illam Christi tanquam Sacerdotis Melchisedeciani & Sacerdotum Leviticorum ad Hebræos Cap. VII. v. 9. *Καὶ, ὡς ἔπος εἰπείν, Ἄγ. Ἀβραάμ καὶ Λεὺί ὁ δέκατος λαμβάνων δεδεδάτωται.* & quo fortius stringamus circa evolutionem hujus loci notamus, quod Christus Sacerdos Melchisedechianus opponatur Sacerdoti Levitico in illo tertio, quod in lumbis Legi non fuerit subjectus, cui autem nulla Lex posita, in illum non cadit transgressio. Hæc nostra est sententia ad veritatis revelatæ normam exacta, adductisque rationibus nixa: de cetero benivolo Lectori de eo libere judicare permittimus, quam solide vel Arminiani vel Calviniani quæstionem decidere satagant. Sane Petrus Molinæus Pastor ecclesiæ Parisiensis in Anatomie sua Arminianismi Cap. VII. p. m. 41. hunc nodum ita solvit: *Unus Christus ab hac labe immunis, peccatum originale à matre non traxit.* Paulus quidem Rom. V. vers. 10. dicit omnes homines in Adamo peccavisse, nec dubium quin Christus fuerit in Adamo, quippe unus de Ada-

mi

mi posteris. Non tamen axioma illud Apostoli Christum attingit, quia Christi persona non fuit in Adamo, sed tantum ejus humana natura. Nec est ab Adamo ut à principio agente, & à vi seminante, sed inde traxit materiam quæ illa lapsu Spiritus sancti à communi contagione vindicata est. Contra quem Joh. Arnoldus Corvinus in censura anatomes Arminianismi ad §. VI. Cap. VII. de originali peccato p. 110, b. prolixè disputat. his verbis:

Quod Christum non attingit axioma Apostoli Rom. 5. dicentis, omnes in Adamo peccasse, certissimum est. At causam ob quam Christum non attingit, non recte explicas. Concedis illum fuisse in Adamo. At queritur an in eo fuerit cum peccavit? Si fuit tum in eo, (cum divini foederis cum primis hominibus initi hæc fuerit ratio, ut favor eodem promissus, ac dona in Adamum collata ad posteros transmitterentur, siquidem inobedientia præstaret; si vero ab ea deficeret cum ipso, tanquam ejusdem peccati rei, omnes posteri iisdem orbarentur,) demonstrandum erit quomodo in Christum ipsum peccatum ejusque pœna non transierit. Dicis, Christi persona non fuit in Adamo, sed tantum ejus natura humana. Respondeo 1. Naturam etiam peccare, docet Catachesis Palatina quæstio. 17. cum docet, Deum velle ut eadem natura quæ peccavit pro peccato dependat. 2. Si ista valebit exceptio, neque nos fuimus in Adamo; quia non anima, sed corpus tantum nostrum in eo fuit; nisi velis animam ex traduce esse, quod tamen ipse negas Cap. X. 3. Si natura humana Christi fuit in Adamo, fit, ut persona Christi fuerit in eo secundam istam naturam. Nam ut persona Christi in eo fuisse dicatur, non est necesse ut

utras

IN LUMBIS ADAMI PECCANTIS?

utraqve natura in eo fuerit, sufficit, si fuerit natura altera. Sed vero si natura humana Christi in eo fuit, id ideo etiam sufficit, quia ratio cur etiam nos in Adamo censeamur peccatores, est, quia de natura ejus participavimus. Si itaque Christus in Adamo fuit cum peccaret, ac de natura ejus participavit; doce, quomodo in eo non peccaverit: & cur peccati particeps ex eadem lege non sit (quod absit) ex qua nos ejus particeps facti sumus. 5. Accedit quod licet nos etiam secundum corpus tantum proprie in Adamo fuerimus, ac illud tantum per traducem ex Adamo habeamus; tamen in nos, per divinam ordinationem peccatores habitos, transeat originis peccatum; quod anime non corporis labem esse, dices infra, cap. 10. §. 5. Quare cum ex ista imputatione, secundum eam partem labem contrahi ipse fatearis, secundum quam in Adamo proprie non fuimus, (si hic te sequemur) ut Christum ex peccato eximamus, si in Adamo fuit cum peccaret, non sufficiet quod tantum ex parte, hoc est, secundum aliquam tantum naturam in Adamo fuit. Adfers aliam rationem, hanc puta, quod Christus non est ab Adamo ut à principio agente, & à vi seminante; sed inde tantum traxit materiam quæ illapsu Spiritus sancti, à communi contagione vindicata est. Resp. 1. Si sufficit ad Christum contagione peccati originalis eximendum, quod ab Adamo non est ut à principio agente & à vi seminante, necesse est, ut ab eo statuas esse contagionem à quo vis ista est: adeoque materiam per se peccato infectam non esse: ideoque neque in Christo ab ea contagione illapsu spiritus esse vindicatam, hoc est, tacite tibi hic contradicis. 2. Concedis etiam, ut jam monuimus, peccatum ori-

C

gi-

UTRUM CHRISTUS FUERIT

ginis non corporis, sed anima labem esse. Quare, cum anima non sit ex vi seminante: sequitur etiam cur Christus peccato originis infectus non sit, causam non esse quod à vi seminante non est. Ac sequitur etiam iterum, male dictum, materiam quam Christus ex Adamo traxit à communi contagione vindicatam esse spiritus illapsu. Quomodo enim à communi contagione materia corporis erit vindicata si originis peccatum non corporis, sed anima contagium est. 3. Pone vero ista omnia esse vera, hoc est, Christum istas ob causas non contraxisse labem originalem; manet tamen adhuc quaestio, an si in Adamo fuit cum peccaret, non fuerit reus peccati ab Adamo commissi. Duo enim transierunt ab Adamo in posteros, reatus mortis, & privatio istorum donorum excellentium, seu originalis labes. Si illapsu spiritus ab hac Christus est vindicatus: explicandum est, quare sit vindicatus ab illo. Si vero à reatu vindicatus non est; sequitur eum non esse immunem ab originali labe. Quotquot enim in Adamo mortis rei sunt, ad eos omnes transiit quoque peccatum. At rei mortis in eo facti sunt omnes, qui in eo, cum peccaret, fuerunt; eaque ipsa, teste Augustino, est ratio cur peccatum participaverimus, quia in eo omnes fuimus, ita enim ille lib. 4. contra duas Epist. Pelagii cap. 4. Restat ut in illo primo homine omnes peccasse intelligantur, quia in illo fuerunt omnes quando peccavit, unde peccatum nascendo trahitur, quod nisi renascendo non soluitur. Alia itaque quaerenda est ratio; Scilicet non est concedendum, sed simpliciter negandum, Christum fuisse in Adamo cum peccaret. Tum enim ratio erit evidens, quod Christus cum in Adamo non fuerit quando peccavit, etiam

in

IN LUMBIS ADAMI PECCANTIS?

*in Adamo non peccavit, nec peccati istius reus fuerit, ideo-
que neque participare potuerit, id quod ex peccato Adam
fuit. Non fuisse autem Christum in Adamo cum peccaret,
inde fit manifestum: quod de Christo mittendo tantum ex
occasione peccati Adami decretum factum sit: ac ideo
Christus missus sit, quia Adam peccarat; Et ideo quidem
missus sit, ut peccatum destrueret; quod ipse supra etiam
ursisti cap. 6. §. 10. Deinde si Christus fuit in Adamo cum
peccaret: venisset sive Adamus peccasset, sive non peccasset.
At si ideo decretum de mittendo factum, quia Adam erat pec-
caturus, non venisset sane Christus, si Adam non peccasset.
Quare non fuit etiam in eo cum peccavit. Nunc vide Mo-
lineæ, uter negligentius rem tantam attigerit, Et uter magis
hic ponderarit momenta rerum Et circumstantias lap-
sus Adam, tu an Arminius.*



COROLLARIA

I. *Concio pœnitentiæ est u-*
niversalis.

II. *Pueri dicuntur innocen-*
tes in collatione ad adultos &
ad peccatores notorios.

III. *Omnes angeli à DEO*
boni fuere conditi.

IV. *Hominis custodia non*
ita uni angelo est assignanda,
ut reliquorum auxilium exclu-
datur.

V. *Flagellum Turcicum in*
Christianos non est fatale.



ULB Halle

3

003 792 34X




05 A 2428

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

THEOLOGICAM,
 ristus fue-
 Adami pec-
 is ?
 Sanctiss. Serva-
 entiam,
 ni subjiciet
 DE,
 MAYERO,
 Prof. P.
 ANUS BOER/
 nsis.
 DC LXXXVI.
 RGÆ,
 LII, Academ. Typogr.

